

atque observandum de illa lectione, quam memoriter dicit legere de Apostolo, i. e. semper illa lectio, quae memoriter legitur, de Apostolo debet esse, sive de Adveutu sive de quotidianis sive de Quadragesima sive etiam de omnibus festivitibus, debet esse lectio de Apostolo, quia in omnibus supra dictis solemnitatibus vel festivitibus de Apostolo lectiones possunt reperiri?

Et hoc intuendum est, quia, ubi dicit sive *recitanda* sive *recitetur*, semper ex corde debet memoriter dici lectio ipsa, sive habeat *ex corde* sive non. Verumtamen sciendum est, quia dominica die semper psalmi cum Alleluja cani debent. Forte dicit aliquis: Quare dicit S. Benedictus de quinquagesimo: *cum Alleluja debet cani*, et non de aliis psalmis? Bene dixit, quia quinquagesimus contrarius est ad Alleluja, eo quod quinquagesimus attinet ad poenitentiam, h. e. ad lamentationem, et Alleluja pertinet ad laetitiam, ideo dixit, in quinquagesimo specialiter Alleluja canendum; nam reliqui paene omnes allelujatici sunt et nullus eorum attinet ad lamentationem, ideo specialiter in illis non dixit Alleluja, sed per subauditionem voluit intelligi. Et hoc est intuendum, quia, si in diebus dominicis, etiam in quotidianis dici potest Alleluja cum autiphonis, nil nocet nec contrarium est regulae, si etiam in diebus dominicis autiphonas cum Alleluja cantaveris. Sciendum est, quia versus cum Alleluja dicimus, nam responsorium non jam dicimus cum Alleluja. Versus ideo dicimus, quia non est congruum, caetera cum Alleluja cani, versus autem non; responsoria, ideo non canimus cum Alleluja, quia regula prohibuit dicens: responsoria autem nunquam canantur cum Alleluja. Notandum est autem, quia Benedictus Dominus Deus Israel non debet cani cum Alleluja, sed cum antiphona, quae Alleluja habet.

Cap. XIII.

QUALITER PRIVATIS DIEBUS MATUTINI AGANTUR.

Privati duobus modis intelliguntur; uno enim modo intelligitur *privatus*, i. e. alienatus, altero vero modo secun-